



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

II. Deus quibus modis nonnunquam nos de imminentibus malis &  
calamitatibus commonefaciat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

atro magno malo, durante hoc schismate, & ex eo confarato ciuili bello, nō semel ipsi experti sumus. a

II. Postquam Deus urbem illam tantopere sibi amaram excindere constituit primum miserabili illi populo (omnium gentium deprædationi, & odijs postea exposito) extremam miseriam & exitium per ipsorum conscientiam denunciavit, quæ præter continuos morsus & tormenta, instantis exitij vanicinium ex ipsorum ore expressit, quum miserose & propediem perdendos esse clamarent. Soler enim Deus factorum nostrorum cursum, liberrimæ suæ voluntati alligatum, diuersis rationibus nobis ostendere. Longo tempore priusquam Christiani ad Indias penetrassent, & Euangelij lucem opulenti illis & vastissimis, sed incognitis antea terris intulissent, omnium fere sermonibus apud populos illos iactatum ferunt, venturam aliquando gentem brabaram, quæ nouum Deum nouamque religionem sit annunciatura. Similiter in Europa antequam schismatis illa scintilla in Saxoniam gliscere cœpisset, dici vix potest quanto in metu rotus fere Christianos versatus sit orbis. Nondum inspecta flamma, iam plerisque incendijs & tranquillo adhuc mari, naufragium ante oculos obuersabatur. Cis vitraque Rhenum habitantes populi Christi anæ Reipublicæ magna mala, & atrocem Ecclesiæ afflictionem impendere ominabantur. Est hæc diuinæ iustitiæ pars quædam, quod ex æquo doctis atque indoctis sese manifestat. Neque enim satis illud Deo visum est, decreta sua velut ad tabulas cœlestium signorum affixa publicare, vt quæ hæc ratione non nisi profunda astrorum scientia instructis, & summa mentis agilitate ac contemplatione cœlestia secreta rimantibus patent; indoctis vero, qui ea quæ supra se, nihil ad se pertinere existimant, quique tamquam terræ filij, oculos continuo in terram defixos habent, vel potius ipsi tamquam aimañtia ad perpetuas tenebras condemnata, intra terræ viscera sine oculis degunt, abstrusa sunt & incognita: eoque non tantum in ijs quæ sunt extra homines, vt etiam in ipsis hominibus & per ipsos homines iudicialia manifestat, vt ignorantiam nemo præterdere, aut contra Deum pœnasque ab ipso infligendas mormurare possit. Nihil omnino accidit, quod non populari hæc & communi voce multo ante fuerit denunciatum. Deus (inquit Iosephus) hominum spectat utilitates, deque ijs, quæ scire ad ipsorum salutem interest, in tempore ipsos certiores facit: at mala suo ipsi sibi

iumento, vt est in proterbio, accersunt, dicente Propheta, (b) *Perditio tua ex te est o Israel & Poeta quispiam. Multos impendens terras ceruicibus ensis: Nec quisquam vitare tamen studet improbus istum.*

III. Nec vero communis tantum populi vox tempestatem hanc, qua S. Petri nauicula breui agitata erat, prædixit; verum etiam singulares quædam personæ, diuino incitante spiritu, quasi Iliadem quandam nostrorum malorum nobis contexuerunt. In Germania virgo Hildegardis, diuini interpretis Numinis vastitatem illam & desolationem quæ superiori & nostra ætate Christianam religionem tantopere afflixit, quasi digito præmonstrauit (c) dicens: *Ah misera Ecclesia! quid ages quo te vertes: Mille hæreses in te orientur, quibus resistere vix poteris. Adest tua sacra, atque ad eam ipsa etiam sacra profanaabuntur; Principes contra te insurgent, populi contra te arma capient: omniaque in ruinam tuam conspirabunt. Quum primi illi homines luxui & voluptatibus sese dedissent (d) Deus aquarum eluisionibus vniuersam terram submersit: at quia vltimi seculi homines incredulitate & quouis opinionum vento abripi se patientur, Deus Ecclesiam ab eis auferet.* Omnia eius scripta eiusmodi minis plena sunt, nec fere aliud quam pœnas, vindictam, stragem & vt vno verbo dicam, Catholica Ecclesiæ ruinam representant: *qua tandem recollectis viribus*, (inquit eadem virgo) *eos quos diabolus ad ipsam persequendam vinculis exsoluit, catena rursus constringet.* Post hanc Hieronymus Sauonarola Dominicanæ familiæ monachus, cōsimilibus vocibus Christianum orbem impiere non destitit (e) eadem prædicens, & vniuersum Ecclesiasticum ordinem metu & stupore defigens. Sic apud Mauros quoque in Granatæ regno Alfacis quidam Mosquearum (f) seu fanorum Mahometanorum ruinam, & Euangelij propagationem prædixit. (f) Et apud Persas Techellis è spelunca sua progressus tam imperij quam religionis scissuram Musulmanis vaticinatus est. (g) Ante vltimam Romanæ urbis direptionem, in qua Carolus Bourbonus occisus fuit homo quidam ignotus, indutus cilicio, discurrens passim ciuibus instantē ruinam & perniciem prædixit, vt suo loco latius a nobis explicabitur. (h) Sic in Anglia virgo quædam

B 2

Eli-

*a Sand. li. 1. b Osee c. 13. 9. c lib. Reuelation. d Gen. 7. 2. Pet. 2. 5. e vide Bzouij Annales A. 1494. num. 37. & Anno 1406 & seqq. f Vide P. Cominaum in histor. Gall. Bzouij in Annual Anno 1452 g extat liber. prædict. eius Techellis. h Franck in Chron. part. 2. stat. 6 fol. 692. & libellus de direptione urbis Roma sub Carolo V.*